



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. SS. Eucharistiæ, cur apud quosdam paruus effectus ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

cor tuum ingredi cupientem. Quod unquam manna tantarum virium, & tantæ fuit suavitatis? Quàm multos hic panis sustentavit? Nullo alio, nisi isto vixit Nicolaus Heluetius, alijque, de quibus supra, spiritali certè vita, per huius panis sumptionem, plerique spirituales vixerunt, inque naturam Angelicam, immò diuinam transierunt. Ita enim, apud D. Augustinum, nos alloquitur Christus: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Et S. Leo: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm ut in id, quod sumimus, transeamus.* Utque tantò maior nobis fiducia corporis à Deo alendi, de ipso cibo spiritali procurato accedat, ait S. Cyprianus: *Sacramentorum communicatio per quam illius corporis sinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut ... mundo, & de diabolo, & de nobis ipsis victoria potiamur; & Sacramentali gustu viuificis mysterijs inhaerentes una caro; & unus spiritus simus, dicente Apostolo: Qui adhaeret Domino, unus spiritus est. Sic hi, ad quos sermo fit, dicuntur Dij, & filij excelsi nominis, & hereditatis aeternae participes.*

Vide de hoc argumento tom. 1. c. 15. de diuers. iudicijs.

S. Augustin. lib. 7. Confess. cap. 10.

S. Leo ferm.

14. de Passione Domini.

S. Cyprian. serm. de Natiuit.

Christi.

II.

Quid ergo? natura quorundam est eiusmodi, ut si quotidie regias dapes haberent, tamen manerent lignei & macilenti. Alij verò vel olere valescentes pingues sunt, & roborantur, ut tribus pueris accidit, quorum vultus de leguminibus meliores erant, quàm aliorum, de phasianis ac regijs dapibus. Ita quibusdam contingit, ut licet sapissimè carne Christi vescantur, numquam tamè fiât fide, spe, charitate fortiores, aut in alijs virtutib⁹ perfectiores. Et tamen quoties quis dignè communicat, toties ei gratia diuina additur, augmentumque charitatis. Cur ergo, alijs adeò proficientibus, tam multi subsistunt, immò tempore corporalis famis, fide & fiducia decrescunt? Nempe ut Eremita, alibi à nobis memoratus, superbia, negligentia, tepiditate, impuritate meruit panem sibi paulatim minui, dulcedine priuari, tandemque omnino subduci: ita quidam cogitant, dum sæpius communicant; *Ego plus alijs facio; Ego sum Deo coniunctior: Ego dignus hoc pane, dignus hoc epulo, dignus Christi familiaritate, &c.* & non cogitant se pane quotidiano indignos. Hoc maximè quibusdam sacerdotibus contingit; qui cum ad primitias ac primum sacrum se summo ardore,

Dan. 1. 16.

Tom. 1 de Iudicijs Dei. cap. 18. §. 5.

dore, diligentia, humilitate præparent; paulatim consuetudine longâ veniunt in tantæ rei contemptum. Itaque tepidè, immò turbidè ad Missam accedunt, vt nihil minùs, quàm de Missa solliciti sint. Immò à litibus, à lusu, illo ore ad Christum sumendum, accedere non verentur, quo, eadem nocte, vt S. Hieronymus ait, meretricem sunt osculati, aut vinum crapulamque ex fœrenti gutture reuomerunt, pleni negligentijs, immò neglectis horis, diurnis & nocturnis; pleni fœditate & impudicissimis desiderijs; quo pacto nullus profectò secularis auderet sumere Eucharistiã. Quid ergo mirum, si eis Christus dulcedinem subtrahit? Si illis non modò non sapit hoc cæleste manna, sed etiam horror est & abominatio, cum *judicium sibi manducens*? Negat Deus panem corporalem indignis, cur fructum panis spiritualis concederet? Itaque tales ad vomitum, ad sæculum, ad omne scelus reuertuntur; estque assidua illorum cogitatio: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

Matth. 6, 32.

III.

Quid his est faciendum? illa doctrina, quâ alios docent, se ipsos instruant, ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi inueniantur. Redeant in se, redeant ad pœnitentiam & veterem feruorem, tunc Deus illos, sicut filium prodigum pater, recipiet, & epulo sacro, velut vitulo saginato reficiet, loco filiquarum. Inter porcos, & more porcorum qui vitam viuunt, ipsi sibi has delicias cælestes subducunt. Sic homines, per ipsorummet praua desideria, Angelico pane, eiusque fructu, spe & fiducia priuat Deus. Itaque non illum, quasi durum, aut iniquum, sed, si hoc viatico tam diuino destituimur, neque ex eo tam pretioso cibo, discimus sperare etiam corporis escam, nos ipsos accusemus, & illud identidem repetamus: *Cognoui, Domine, quia equitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.* Iam demum disco, de pane quotidiano non desperare, quando video sic mundum à Deo dilectura, vt illi proprium Filium, & panem Angelorum dederit in cibum. Sed de hac diuina prouidentia ac prodigalitate in humanum genus, iam alio loco prolixè disputauimus. Hic sufficit cum Domino dicere: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hac enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quarite ergo primum regnum Dei, & iustia*

Psal. 118. 75.

Tom. 1. de Iudicijs, quæ Deus exercet in hoc mundo, cap. 15. Matth. 6. 31.